AD CARDINALITIAM

QVÆSTIO MEDICA, MATVTINIS CONCERTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXI MAII, MAGISTRO IOANNE DEGORRIS MEDICO REGIO, MODERATORE PRVDENTISSIMO.

Vtrum in acutis ſudores optimi?

IN humoribus vitæ necíſque fatalis neceſſitas. Totus homo humor eſt; quem qui gignit, auget, alit, ſæpe interimit; quantitate & qualitate noxius, excretione retentionéque inimicus. Semini ignis & aqua inſunt, in quo corporis procreandi effingendíque diuina virtus, menſtruo (penes quem nulla conformatio) denegata deliteſcit. Quibus id humidius eſt ac copioſius, minùs integrâ ſanitate perfruuntur; ac retentum diutiùs facillimè corrumpitur; corruptum venenatam in totum corpus auram expirat, quæ ſuo ad cor appulſu ſpirandi vſum tollit, apnœam hyſtericam, animi vocíſque defectus, ſyncopas ac ſudores frigidos inducit, indéq; ad guttur illaqueationis metum, ad cerebrum melancholiæ & cõuulſionis epilepticæ euentum parit. Dulce & vnicum ſanguis vitæ exiſtit condimentum eiúſque prorogandæ ſolum remedium; pituita & bilis vtráque neceſſaria toti corpori ſunt excrementa: quorum tamen incrementum naturæ eſt deleterium. Ab exuperante ſanguine ſynochi, anginæ, pleuritides; à pituitâ hydrops, lethargus, epilepſia, paralyſis, apoplexia; à flauâ bile phrenitis, cauſus, icterus flauus; ab atrâ niger, melancholia, mania, incubus.

HORVM proinde turgentium ſecura eſt κένωσις. Vere quidem & hyeme, cibo iam confecto & poſt ſomnum, calidis humidíſque iuuenibus, ætatéq; florentibus innoxia venus eſt, melancholicorum ſolatium. At æſtate & autumno, ieiuno aut expleto ventriculo, laſſato corpore & ante ſomnum, adoleſcentibus, ſenibus, naturis morbíſque bilioſis infenſiſſima, pituitoſis amiciſſima. Rara corpus excitat, frequens ſoluit. Profuſæ ac ſpontaneæ ſanguinis è naribus eruptiones morbos ſibi congeneres tollunt; per vim ſuppreſſæ, conuulſiones phlebotomiâ (qualibet in naturâ, ætate, ſexu, regione, tempeſtate, anni, menſis dieíque, non tamen morbi tempore, nec in quóuis affectu celebrandâ) ſanabiles accerſunt. At ex aduerſo partis dolentis factæ, malæ ſunt; cum tenui circa frontem & thoracem ſudore peſſimæ. Suſpecta omnis eſt ſanguinis ſtillatio; in ardentibus febribus (quas copioſa ſoluit αἱμοῤῥαγία) lethalis. Atrâ bile vexatis ſanguinis per hæmorrhoïdas profluuium bonum eſt. Ineunte hydrope, ſi incidat diarrhœa, morbum exoluit; & cardialgiam vomitus bilioſus.

MORBORVM (quorum duo tantùm ſunt genera ſimilares & organici) alij tardè, alij citò ſua percurrunt tempora. Horum qui acuti nominantur, celeriter, continenter, vehementérque mouentur, ac intra dies quatuordecim iudicantur. Illorum diuturnitas in pepaſmi difficultate, malignâ κακοχυμία, vel vitio partis conſiſtit. Hi ſæpe à tenui & calido, ſæpius ab humore bilioſo, nonnumquam etiam à pituitoſo. Illi à frigido, craſſo & lento ſemper ortum ducunt. Hi imparibus; illi paribus quoque diebus exacerbantur & iudicantur. Sua tamen omnibus debetur criſis, quamuis cita & perfecta acutorum ſit propria, quæ in his καθ' ἔκκρισιν, in diuturnis κατὰ μετάστασιν ſuſcipitur. Vtrouis tamen modo ſalutaris eſt, ſi εὔσημος, die critico, ſecurè & ex toto morbum tollat. Nam niſi diebus imparibus febris deſierit; aut ſi quid in morbis poſt criſim relictum ſit, ſolent reuerti.

CRITICA omnis excretio aut fit per os, aut per aluum, aut veſicam. Sed ſudoris ſpecies omnibus communis, liberalis & libera totámque corporis compaginem occupans præſtantior eſt & maximè expetenda. Huius & vrinæ communis eſt materia: hæc tamen naturale; ille præter naturam totius corporis excrementum eſt: & quâ parte corporis, ſicut & calor, aut frigus ineſt, ibi morbus. Cornei, quibus concreta ſolidáque oſſa ſunt, nec ſudant nec ſitiunt. Anteriore pars poſterior, inferiore ſuperior, caput & facies reliquo corpore exudat magis, dormientes vigilantibus, induti nudis, ſudorem abſtergentes ipſum reſidere ſinentibus, vere & æſtate quàm autumno & hyeme. Per ea igitur tempora potiùs quàm per hæc ſudor mouendus eſt.

INTER ſudores, craſſi tenuioribus meliores ſunt, copioſi parcis, labore concitati ſpontaneis, calidi frigidis. Hos qui emittunt, diuturnis; qui verò illos, celerioribus conflictantur affectibus. Toto effuſus corpore bonus eſt, circa collum tantùm, caput & ceruicem exudans prauus. Qui pallidis, gracilibus & crebrâ oris ſaliuatione laborantibus in ſomnis ſuperuenit, bonus. Miliaris & ſymptomaticus vbíque peſſimus. Criticus, qui rigorem & criticam ſequitur vrinæ ſuppreſſionem, optimus. Hinc ſi ardenti febre laboranti rigor ſuperueniat, morbus ſoluitur; cui ſi ſudatiuncula tantùm acceſſerit, redibit pro certo. Tenues in febribus ſudores ſemper mali. In acutis (quorum non omnino certæ ſunt mortis aut ſalutis prædictiones) lethales frigidi; & qui horum apparent initijs, peſſimi. At calidi & die critico, cum integrâ morbi ſolutione in acutis, vt phrenitide, lethargo, apoplexiâ, cauſo, prodeuntes ſemper optimi.

Ergo in acutis ſudores optimi.



Aſſerebat IOANNES BOVRGEOIS Pariſinus. A. R. S. M, DC. XV.